



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XXV. De Contractu societatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)



ductio triennis ita commoda est, sicut nouennalis; imò potest esse detrimentosa. Si tamen ipsi contrahentes tacite consentirent in triennium, tunc ex hac parte valeret, quia implicitè esset duplex contractus, scilicet in nouennium, & (si hic non subsisteret) in triennium.

69 Aduerte tamen Primò, d. Extrauag. loqui de rebus, quæ quotannis dant fructum: vnde si aliqua res solum alternis fructificet, poterit locari ad sexennium; si tertio quoque anno dumtaxat, poterit ad nouennium; vt notat Couarr. n. 6.

Secundò, Sicut pœna istius Extrauag. nō sunt receptæ, teste Nauarro cap. 27. num. 150. ita etiam multis locis hanc dispositionē non esse receptam, vt Couarr. num. 6. notat, & Siluester v. Alienatio, quæst. 13. itaque ibi poterit fieri elocatio ad 9. annos absque forma iuris supradicta.

Non videri  
receptam.

Non tamen est tolerabile, quod quibusdam locis fit, vbi beneficiarij prædia Ecclesiæ ad multos annos exigua pensione elocant, ea lege vt statim conductor soluat poculum vini (vt vocant) mille florenorum. fraudant enim ex hoc modo successores, (si fortè interea mori contingat) percipientes partem pensionis successoribus debitam.

Vnde tenentur eorum heredes ad restitutionem ex illa pecunia anticipata, pro numero annorum, qui post mortem beneficiarij supersunt.

Tertiò, Non videri hic prohiberi, quin fructus beneficiorum & bonorum Ecclesiasticorum possint elocari aut vendi in plures annos; (modò ipsi fundi non elocentur) quia hi non sunt res Ecclesiæ, sed priuatorum: & locatio expirat morte locantis, & beneficij amissione. nam cōductor nullum acquirit ius in fundum, sed solum in fructus ad locatorem pertinentes. Secus est, quando fundus elocatur. hæc enim elocatio ipsum fundum immediatè attingit, & manet, etiam si locans, beneficium amittat. vide Panorm. in cap. Continuatur. de his, quæ fiunt à Prælati, num. 7.

70  
Fructus  
beneficio-  
rum elo-  
cari pos-  
sunt. &c.

Petes, An Prælati successor teneatur stare elocatione rei Ecclesiæ, quam eius decessor fecit?

71

Resp. Teneri, si legitime facta fuit; sicut tutor pupilli, qui alteri tutori succedit, tenetur stare contractibus à suo decessore legitime factis. secus si non fuerit legitime facta. Vide Couar. li. 2. variar. cap. 15. sub finem. Si tamen successor deprehendat Ecclesiam enormiter læsum ex illo contractu, poterit vti beneficio restitutionis.

## CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

### De contractu societatis.

Completitur Dubitationes 4.

#### DVBITATIO PRIMA.

Quid sit societas, & quibus modis contrahatur.

1 **R**ESPONDEO & Dico Primò, Societas in proposito est conuentio duorum pluriumve, ad conferendum aliquid in vsum vel quantum commune contracta.

Societas.

Hic contractus perficitur solo consensu exteriùs expresso, absque villa alia iuris solemnitate; vt docet Gomezius tom. 2. cap. 5. num. 1. vnde collatio bonorum vel operarum in commune, non est contractus societatis, sed effectus eius.

2 Vt autem hæc definitio intelligatur, Notandum est, quatuor potissimum ad hunc contractum requiri. Primū est, Vt singuli socij aliquid in commune cōferant, siue pecuniam, siue operam & industriam, siue instrumenta, (v.g. nauem, equos) siue animalia, siue alia bona, prout conuentum fuerit. nisi enim aliquid præstent, vel cooperentur ad lucrum vel commodum, non possunt eius esse participes; vt qui titulo careant.

Quatuor  
requirun-  
tur ad so-  
cietatis cō-  
tractum.

3 Secundum, Vt id, quod à singulis sociis collatum fuerit eo animo vt sit commune, statim cedat in dominium singulorum, ita vt singuli efficiantur domini totius sortis partialiter, seu partiali dominio. colligitur ex L. 1. & seq. ꝑ. pro socio. Idem dicendum de iis, quæ socius nomine communi comparat; non autem quæ nomine proprio, vt docet Couarr. lib. 3. variar. c. 19. num. 1. Dixi, *Eo animo vt sit commune*, quia alioquin non

cedet in dominium sociorum; vt patet quando nō fit communitio in capitali, sed solum in lucro; vt quando alter pecuniam, alter industriam confert.

Tertium, Vt lucrum & damnum sit commune. colligitur ex iisdem legibus supra, & L. 1. & sequentibus, C. pro socio.

Quartum, Vt fiat diuisio lucri, secundum proportionem sortis à singulis collata; L. Si non fuerint. 29. & L. Verum. 63. ꝑ. pro socio. hæc tamen tertia & quarta conditio intelligenda est, nisi aliter expressè fuerit contentum, & onus, quod præter naturam huius contractus alteri parti imponitur, debite compensetur. Ex his facile intelligi potest, quomodo hic contractus differat à ceteris.

Dico Secundò, Societatem variis modis contrahi posse. Primò, ex parte finis; possunt enim esse varij fines proximi huius contractus. sic aliquando contrahitur ad vsum tantum; vt quando libri, vel alia suppellex, vel pecunia, in vsum & victum communem conferuntur. aliquando ad lucrum tantum, vt in negotiatione. aliquando ad vtrumque, vt in matrimonio, vbi vir & mulier conferunt bona & operas ad perpetuum conuictum & lucrum.

4  
Varijs mo-  
dis contra-  
hi potest.

Secundò, Ex parte materiæ; sic vel contrahitur societas omnium bonorum, vt fit in matrimonio, quod celebratur contractu medietatis bonorum. hic omnia bona, quomodocumque obuientia,

sunt



unt communia, & facto diuortio aequaliter diuidenda. similiter damna sunt communia, praeter ea, quae culpa socij obueniunt, praesertim lata, (haec enim soli auctori sunt imputanda) & ea quae socius male expendit, v.g. in meretrices & comestiones. Vel contrahitur societas lucrorum dumtaxat; vt quando bona heredum manent indiuisa. hic solum communicantur lucra ex hereditate illa prouenientia, & damna circa eam absque culpa sociorum obuenientia. Vel denique contrahitur societas certae alicuius partis bonorum, vel certae negotiationis. Vide Siluest. v. Peculium, 2. num. 2. Aliquando ita contrahitur societas, vt alter conferat pecuniam, vel gregem animalium, alter industriam & operam necessariam: vel uterque partim pecuniam, partim industriam.

5 Tercio, Ex parte temporis; alia enim contrahitur ad vitam, alia ad certum tempus, alia vsque ad finem certi negotij. Ad heredes autem hic contractus non transit, etiamsi expresse conuentum sit vt heres in eandem societatem succedat, vt patet L. Adeo, 59. L. Verum, 63. §. In heredem. pro socio: quia in hoc contractu industria personae eligitur, vt habetur d. L. Adeo. Si tamen socij iuramento promiserunt se continuaturos contractum cum herede, valet pactum, & tenentur eum admittere, quidquid aliqui in contrarium censuerint. Ratio est, quia iuramentum seruandum est, quando absque salutis dispendio seruari potest: imò eam vim habet; vt contractum iure humano alias irritum, reddat in sua specie validum; vt dictum est supra cap. 17. dub. 7.

DVBITATIO II.

Quomodo contractus societatis iniuri debeat, quando alter confert sortem, alter operam; & quomodo diuisio in fines faciendae.

7 **O**missis sententiis Doctorum qui valde perplexè loquuntur, Respondeo, Variis modis iniuri posse. Primò, Vt is qui operas & instrumenta, (v. g. nauem vel currum) praebet, habeat aliquotam partem lucri, quam ipsius opera meretur, & reliquum totum cum sorte pertineat ad eum qui sortem contulit. Verum hic potius est conductio operarum, quam contractus societatis; vt rectè Nauarrus cap. 17. num. 252. docet. Talem contractum plerumque incunt mercatores cum suis factoribus. non enim volunt eos admittere in societatem, dum nullam pecuniam conferunt; sed vt diligentiores sint, dant eis in mercedem partem lucri; quo fit, vt si res bene succedat, longè plus accipiant, quam opera illa mereatur; si male, longè minus. debet enim esse talis pars aliquota, vt tanta sit illis spes accipiendi amplius quam opera praecisa meretur, quantum est periculum accipiendi minus: alias non est iusta merces.

8 **S**ecundò, Vt is qui operas confert, admittatur vt verus socius, & solum sit particeps lucri secundum aestimationem operarum, quasi tantum pecuniae in societatem contulisset, quanti valent operae. vt si conferas 1000. aureos, & opera socij aestimetur 100. aureis; sitque particeps lucri quasi contulisset solum 100. aureos. Hic contractus, etsi à quibusdam DD. probari videatur, est tamen omnino iniquus. Ratio est; quia socius id quod

confert, certò amittit; (perit enim opera illius) tu verò quod confers non amittis; sed manet tibi saluum: vnde est dispar conditio sociorum; quod repugnat contractui societatis; nisi aliunde fiat compensatio. Deinde, hoc pacto socius, qui confert operam, numquam aliquid lucrabitur, sed certò semper amittet; nisi lucrù sit plusquam 1100. aureorum, quod vix vniquam contingeret. cum enim solum vndecima pars lucri ei sit assignata, nisi haec excedat 100. aureos, quibus opera eius aestimabatur, nihil habebit supra id quod contulit. si autem vndecima pars lucri sit infra 100. aureos, necessariò amittet; vt patet. Itaque talis societas ferè est leonina, in qua alter sociorum solum habet damnum, alter solum lucrum; de qua vide d. L. Si non fuerint. 29. §. fin. pro socio.

Tercio, Vt is qui operas confert, non solum sit particeps lucri, sed etiam sortis, secundum aestimationem operarum; ita vt negotijs peractis, ex tota summa, quae ex lucro & sorte conflata erit, tantum extrahat, quantum si loco operarum pecuniam aequiualentem contulisset: vt si tu conferas 1000. aureos, socius autem operam valentem 100. aureis; & lucrum sit 500. aureorum, socius extrahet vndecimam partem, non solum è lucro, sed etiam ex sorte; id est, ex 1000. & 500. aureis. vnde ille habebit 136. aureos & vnam tertiam. tu verò habebis reliquas decem partes. Hic contractus est iustus. probatur, quia qui confert operas, non minùs debet esse particeps tum lucri, tum sortis, quam qui ponit tantundem pecuniae. non enim ipsi soli opera perire debet, cum non minùs conferat ad negotiationem, quam is qui contulit tantundem pecuniae: atque is, qui in casu proposito contulit 100. aureos, extrahit vndecimam partem non solum lucri, sed etiam sortis: ergo etiam is, qui contulit operam eiusdem aestimationis. Itaque in hoc contractu opera socij aestimanda est pecunià; eaque aestimatio sorti addenda, vt fiat veluti vna fors communis, v. g. 1100. aureorum, in qua socius habeat partem vndecimam, perinde ac si tantundem pecuniae contulisset. vnde postea in diuisione competit ei vndecima pars sortis & lucri, seu totius summae. Si opera ipsius valebat quanti fors alterius; debetur ei dimidium totius summae. si erat aequalis tertiae, quartae, quintae, vel sextae parti pecuniae; debetur ei tertia, quarta, quinta, vel sexta pars totius summae, quae reperietur finitis negotijs. Iuxta hunc modum intellige quae habet Couarr. lib. 3. variar. cap. 2. & Nauarr. cap. 17. nu. 251. etsi non satis clarè explicent an socius operam conferens, debeat esse solum particeps lucri, an etiam sortis.

Notandum est, quando hoc modo inita est societas, si fors pereat ante praestitam totam operam; socium, qui eam conferre debebat, teneri soluere alteri (cuius fors perit) partem aestimationis operarum, quae conferendae restabant, sicut enim salua sorte, & operà exhibità, debetur socio conferenti operam certa pars sortis, vt dictum est; ita pereunte sorte, & operà saluà, (id est, nondum exhibità) debetur socio qui sortem posuit, pars aestimationis operae restantis, iuxta modum supra dictum.

Quartò, Fieri potest pactum, vt is qui operam confert, non sit particeps sortis, sed tantum lucri; ita vt si peracta negotiatione nihil superfit praeter sortem, nihil habeat. hoc potest esse iustum. Verum tunc non est comparanda pecuniae quantitas,

9 Tertius modus, cum particeps sortis & lucri.

10

11 Si fors pereat.

12 Quartus modus.

6 Iuramentum.

7 Primus modus in quo pars lucri est loco mercedis.

8 Secundus modus, in quo est particeps lucri secundum aestimationem operarum. Est iniustus.



Consideranda quæ utriusque pereunt.

13

titas, quam alter confert, cum pretio operarum, ut in secundo modo: neque est conflanda una fors ex illa pecunia, & pretio operarum, ut in tertio: sed consideranda sunt ea quæ utriusque pereunt, & hæc inter se comparanda, ut rectè docet Petrus Navarra lib. 3. cap. 2. num. 452. Ei igitur, qui pecuniam confert, duo pereunt. Primò, æstimatio periculi, seu pretium affecurationis capitalis, siue illud periculum in se suscipiat, siue alteri persoluat eius pretium: hæc enim paria censentur. Secundo perit illi æstimatio lucri, illà pecuniâ sperati; seu pretium, quo alteri vendi poterat spes lucri illa pecunia percipiendi, deductis operis & expensis. qui enim exponit mille aureos negotiationi, facile inueniet multos qui libenter pro lucro sperato dabunt 100. 200. vel 300. aureos, iuxta conditionem mercimonij, operis solutis. itaque hoc totum perit ei, qui sortem confert. Vnde non rectè Sotus lib. 6. quæst. 6. art. 1. docuit, solum pretium periculi sortis hîc esse considerandum, quasi illud solum periret conferenti sortem: nam etiam perit pretium lucri sperati. & sanè si sententia Soti vera esset, is, qui confert decem millia aureorum ad negotiationem valdè securam, ubi periculum non æstimatur nisi centum aureis, non posset plus ex lucro accipere, quàm alter, qui posuit operam 100. aureorum, etiamsi lucrum sit quatuor millium aureorum; quod omnino absurdum est, & nusquam vsurpatum, ut rectè Nauarr. suprâ, hanc sententiam refutans, ait: etsi enim pecunia per se sit sterilis; tamen ut subest industriæ alicuius, sit fecunda, eiusque fecunditas magni æstimatur. Patet igitur hæc duo perire ei qui pecuniam confert.

15

Ei verò, qui confert operam, solum perit æstimatio operæ. hæc igitur inter se sunt comparanda, & secundum horum proportionem lucrum est diuidendum; deducta primùm sorte pro eo qui illam posuit. ut si contuleris 1000. aureos, quorum periculum æstimetur 100. spes autem lucri, deductis expensis, æstimetur 200. censis contulisse 300. aureos, qui omnino tibi pereunt; opera verò alterius æstimetur 100. censetur itaque contulisse 100. aureos, qui ipsi pereunt. lucrum autem sit 800. qui operam posuit, habebit quadrantem lucri, nempe 200. quia quartam partem contulit respectu alterius. qui pecuniam posuit, habebit 600. videlicet dodrantem lucri, seu tres quadrantes; quia tres quadrantes contulit respectu alterius. quòd si lucrum sit 400. aureorum tantum, neuter quidquam lucrabitur, aut amittet; nam uterque solum accipiet quantum contulit ex eo, quod necessariò peritutum erat. Si lucrum sit nullum, uterque amittet, eadem proportione. is enim qui pecuniam contulit, amittet 300. aureos, videlicet pretium periculi sortis, & pretium lucri sperati, is qui operam, amittet centum, id est, pretium operæ.

16

Obiectio.

Dices, Sæpè fit ut etiam fors pereat: ergo hoc etiam est æstimandum, ac proinde ratione huius, debebitur ei amplius ex lucro, quàm dictum est: qui enim præstat operam, non potest amittere nisi æstimationem operæ, v. g. 100. aureorum: qui pecuniam confert, potest totam sortem 1000. aureorum amittere.

Responsio.

Respondeo, Periculum sortis incertum debet reduci ad certum pretium, quod in casu proposito est centum aureorum, uti supponimus exem-

pli causa; nec alia æstimatio huius periculi est facienda. Nec refert quòd possit amittere mille, quia hoc periculum non æstimatur nisi 100. quos si alteri dare velit, non poterit amittere 1000. in potestate enim ipsius est vel subire periculum amittendi mille, vel dando centum, efficere ut mille securos habeat. Itaque ratione periculi non pereunt ei nisi 100. aurei.

Ex his patet, si fors pereat, perire illi qui illam posuit, nec quidquam ei ab altero compensandum: si verò aliquid superfit, hoc eidem deberi: si præter æstimationem sortis aliquid superfit, id diuidendum secundum proportionem dictam; ita ut uterque ex eo ea proportione capiat, qua contulit ad id, quod necessariò utriusque peritutum erat.

Petes, Quid si opera socij pluris valeat quàm pecunia alterius, & tantum fors sit salua; tenebiturne is qui illam posuit, socio aliquid compensare? Quidam putant teneri; quia socius certò amittit totam æstimationem operæ, quæ pluris valet quàm fors alterius, quæ non perit necessariò. Sed dicendum est, si contractus initus est secundum hunc quartum modum, nihil teneri ei compensare; quia dominia eorum quæ conferuntur, non fuerunt communicata; sed manserunt diuisa: (in hoc enim modo contrahendi solum fit communicatio lucrorum, quæ deducta sorte superfit) quæque autem res domino suo perit. itaque sicut quando fors longè superat operas, nihil compensare debet qui contulit operas, etsi fors pereat, (quia tota perit ei, qui illam posuit;) ita vicissim quando operæ superant sortem, nihil compensare debet qui sortem posuit, etiamsi sola superfit. Nec refert quòd socius certò amittat totam æstimationem operarum, & quòd hæc operæ pluris valeant, quàm fors alterius; quia ideò longè amplius lucri capiet, si extiterit.

Si autem initus fuit secundum tertium modum, sic debet fieri compensatio; nam totum debet diuidi certa proportione, ut dictum est; eò quòd dominium eorum quæ conferuntur, fiat commune, tamquam vnius massæ seu sortis, ex diuersorum collatione conflata.

Ex his patet, quid dicendum sit, si alter conferat solum pecuniam, alter pecuniam & operam: item si uterque conferat pecuniam & operam in æqualiter. nam iuxta tertium modum, omnia reuocanda sunt ad æstimationem pecuniariam, vnaque summa conflanda, quæ socijs sit communis; & finita negotiatione, diuisio totius quod inuentum fuerit, facienda secundum proportionem eorum, quæ singuli contulerunt. Iuxta quartum modum, æstimandum est periculum sortis, & spes lucri per talem sortem obtinendi, deductis operis & expensis. Deinde æstimandæ sunt operæ singulorum, & hac æstimatione iuncta cum pretio periculi sortis, & lucri sperati, duæ summæ utriusque conflandæ, & iuxta harum proportionem facienda est diuisio lucri.

Petes, Utrum hi tres modi contrahendi etiam locum habeant in societate circa greces ouium vel similibus animalium?

Respondeo, Habere. De primo patet; quia potest alicui tradi grex 100. ouium, ut eas pascat pro dimidia parte fructuum, (id est, fœtus, lana, lactis) siue illi copiosi fuerint, siue exigui. Secundus probatur; quia potest iniri æstimatio partur



stura & ipsius gregis, vt ex vtroque confletur vna res communis: & finita pastura aliquot annorum, fiat diuisio totius, iuxta aestimationem eorum quae singuli contulerunt. Tertius probatur; quia periculum gregis, & spes lucri ex eo percipiendi, possunt aestimari ex vna parte; (haec enim pereunt ei qui gregem tradit) & cura pascendi ex altera parte; (haec enim perit ei qui gregem suscipit) & iuxta horum proportionem poterit fieri diuisio fructuum.

DUBITATIO III.

*Vtrum in societate licitum sit pactum cum socijs, vt saluam praesent sortem, & reddant quotannis certum lucrum paruum, pro incerto magno.*

<sup>22</sup> Caietanus tom. 1. opusc. vltimo, responsione vndecima, putat formam hanc contractus, quam ei proposuerat Conradus, esse illicitam; Petrus assignat centum florenos apud Paulum mercatorem, vt ei pro parte lucri, capitali saluo, assignet per annum quinque florenos, residuo lucri sibi reseruat. Primò, Quia est contractus societatis, in quo socius obligatur ad assicurandum capitale, cum nihil ei pro hac assicuracione deatur; & ad reddendum certum lucrum, cum tamen nemo alius pro incerto lucro vellet dare certum illud pretium, quod exigitur à socio.

Secundò, Quia non est licitum illos tres contractus simul cum vno eodemque celebrare, etiam si in singulis daretur iustum pretium: non enim licitum est in contractibus obligare, & gratiare alterum vltra naturam contractus: sicut cum quis dat mutuum, non est licitum obligare mutuatarium ad remutuandum. Pari ergo modo, qui contrahit societatem cum aliquo, non potest eum obligare ad contractum assicurandi capitale, & emendi lucrum incertum certo pretio, nisi id ipsum alter cupiat, sic vt fiat communi consensu & condictione. Addit tamen Caietanus posse hanc pacta cum eodem fieri successiue; modò in singulis feruetur aequalitas.

<sup>Socius.</sup> Sotus verò lib. 6. qu. 6. artic. 2. & quidam alij putant hanc pacta esse illicita, siue simul fiant, siue successiue. Ratio praecipua est, quia qui ita pecuniam suam tradit, vt periculum eius transferat in accipientem, censetur eam dare mutuo, non ad societatem: atqui ex mutuo non potest peti lucrum: ergo talis contractus est iniustus. Maior probatur, quia dum transfert periculum in socium; amittit dominium illius pecuniae, & transfert illud in socium. is enim est dominus, cui res perit: cuius signum est, quòd illa pecunia possit emere praedium, vel dotare filiam. Confirmatur, Quia hanc formula aperit fenestram vsuris, facile enim fiet, vt homines hoc modo tradant suam pecuniam iis, qui neque negotiantur, neque alium quaestum faciunt; & non curent vtrum illi, quibus eam dederunt, negotiationi an suis vsibus impendant.

<sup>23</sup> Verum contraria sententia est multò probabilior & verior; nimirum hanc pacta in societatis contractu esse licita; siue simul fiant cum socijs, siue successiue; modò prudentis arbitrio feruetur aequalitas. Hanc expressè multi viri doctissimi

mi & religiosissimi tenent: quorum verba breuiter adducam, vt maiorem fidem faciant apud eos qui vel aliter sentiunt, vel rem non penetrant, & magis Auctorum numero, quàm rationum pondere mouentur.

Angelus v. Societas, 1. §. 7. Idem dicerem (scilicet licitum esse) quando socius accipiens ipsum capitale, conueniret libere cum socio dante capitale, de dando sibi tale modicum de lucro. Et infra dicit hoc habere locum, quando negotiatio est talis qualitatis, quòd assicuracionem inueniret soluedo tria vel quatuor pro centenario, & tum verisimiliter pro lucro societatis esset receptorius sex vel octo; & aliquando plus: & conueniret cum socio vt salum daret tres vel quatuor pro lucro, & eum de capitali assicuraret. Vnde sequitur, si lucrum verisimiliter sit 10. 12. vel amplius in centum, posse deponentem conuenire cum socio, vt socius det 5. 6. vel amplius in centum. Et infra docet, non solum in pecunia dotali, sed etiam in omni capitali dato ad societatem, posse redimi periculum à socio: modo duo concurrant. Alterum est, vt socius accipiens, libere hoc velit facere. Alterum, quòd ponens capitale paulò amplius verisimiliter sit lucraturus supra id, quòd ex lucro ipsi obueniet, nempe quantum est id, quòd cuius alteri pro assicuracione solueret. Quae omnia in nostro casu concurrunt. Non tamen est necessarium, vt socius ille vellet assurecare, etiam si non esset in illa societate, vt videtur Angelus requirere, quia satis est, vt omnino liberè assurecuret. Si enim non esset socius, fortè nollet illam pecuniam assurecare; quia non sciret quomodo impenderetur, & quae fraudes possint interuenire. Cum autem est socius, ipse totum negotium dirigit; & sic minus est periculi, & tota res est ei perspecta. vnde tunc eam libentius assurecat.

Gabriel in 4. d. 15. q. 11. dubit. 10. ad verbum sequitur Angelum.

Maior in 4. d. 15. quaest. 27. Si mutuatarius rogaret mutuatorem post mutuum in se suscipere periculum; vel si vltro mutuator ad hoc se offerat, potest taliter subire onus periculi sicut non mutuator. Idem docet qu. 49. vbi etiam dicit hanc sententiam à doctissimo Theologo Ioanne Eckio fuisse publicè Bononiae defentam. Eandem fuisse communem Theologorum Parisiis tempore Maioris, refert Ludouicus Lopez ex scholis Victoriae lib. 1. de contractibus cap. 65. Et si Iurista forum externum spectantes & praesumptioni innixi contrarium tenerent.

Siluester v. Societas, 1. quaest. 2. sub finem, et si non nihil confuse loquatur, hanc sententiam tamen aperte indicat: Fallit, inquit, quòd dictum est, si capitale sit saluum non ex contractu societatis, sed assicuracionis factae ab aliquo, qui non sit socius, cui datur certum quid vt subeat periculum capitalis. Et idem est, si ista assicuratio fiat à socio; modo intentio sit recta, &c. Rationem subdit, Quia ibi sunt duo contractus, scilicet societatis & assicuracionis, quorum quilibet per se est licitus.

Nec refert quòd Siluester velit aliquid certum solui pro hac assicuracione, & vt socius sit paratus assurecare, etiam si non esset socius: quia perinde est, siue id quòd soluitur sit certum & definitum re ipsa, vt v. g. duo in centum; siue sit in se incertum, sed certum in aestimatione, qualis est pars aliquota, v. g. quarta vel quinta lucri iperati. Haec enim ab intelligentibus certo pretio



alimari potest, & vendi vel commutari cum re alia, aut obligatione. Similiter non est necessarium, ut ille affecurator vellet affecurare, si non esset socius (forte enim tunc affecuratio esset illi incommoda, vel suspecta ob ignorantiam periculi & fraudum) sed sufficit ut sponte sua cupiat & malit ipse prestare securitatem fortis tali pretio, quam eam prestari ab alio, ut infra dicitur. Nec Siluester illa requirit ut absolutè necessaria, ut patet ex ratione quam adfert, sed solum ponit exempla, in quibus res sit clarior.

Bartholomæus Fumus v. Societas, num. 6. Si primo fiat contractus, ut periculum pecunie sit apud deponentem, postmodum depositarius affecuret deponentem de capitalis salute, recipiendo iria vel duo pro centenario, vel defalcando de lucro, puta sic: Ista pecunia verisimiliter lucrabitur octo pro centum; sed quia volo te affecurare de capitali, conuenio tecum, tantum dare quinque pro centum. hic contractus est licitus; quia etiam qui non est socius, potest esse illi hoc modo affecurare. ergo nec minus potest dum est socius, dummodo intentio sit, quod hoc fiat propter affecurationem. Concordat Siluester v. Societas, §. 2.

Vbi aduerte, requirere hunc Auctorem, ut primo fiat contractus societatis absolutè, per quem periculum sit penes deponentem. Sed hoc ideo requirit, ut vitetur præiumpcio coactionis & fraudis vlturarie. Certum enim est, illud non esse necessarium, quando alter sociorum cupit sua sponte periculum in se suscipere, & alio modo non vult contrahere: quia non cupit rationes suas aliis patfacere.

Eadem apertissimè & distinctissimè tradunt reuocatores.

Navarrus cap. 17. num. 255. docet licitè fieri hos tres contractus cum eodem. Primum societatis, in quo alter pecuniam, alter operam & industriam confert. Secundum affecurationis, in quo qui operam confert, affecurat alterius sortem. Tertium ut ad tollendas suspiciones, & rationum molestias, qui operam confert, lucrum incertum aliquo certo minore redimat; vel ex lucro verisimili seu incerto, tantumdem certi retineat. Idem docet in Consil. lib. 1. tit. de constit. quest. 34.

Couarruias lib. 3. Variar. resolut. cap. 2. nu. 3. Potest aut, licitè dari pecunia alteri, ut per eam adhibeatur industria, quæstuarie ars exerceatur; ita contractus societate, ut pecunia salua sit, eiusque periculum ad mercatorem pertineat: lucrum tamen, quod aliqui aquis portionibus commue foret, maiori ex parte ad subeantem periculum pecunie spectet; quasi ea pars lucri, qua abundantius excedit, iustum sit arbitrio boni viri pretium subeundi periculi: possuntque hi contractus vno actu & contextu fieri.

Gregorius à Valentia disp. 5. q. 24. punct. 2. Licet, inquit, contractum societatis inire, ac cum eodem socio contractum affecurationis capitalis pro parte lucri sperati probabiliter, & affecurationis lucri certi minoris pro alia parte sperati lucri. Addit, hanc sententiam se præcise Romæ anno 1581. placuisse multis & doctissimis Theologis, re prius diligenter excussa; & pro ea citat multos DD.

Ludouicus Molina de Iustitia & Iure tract. 3. disput. 417. Potest quis, inquit, dare pecuniam ad negotiationem ut cooperetur & pariat lucrum, cum pacto ut vel tertius, vel is qui eam accepit, securam illi reddat: inuendo in super contractum lucri quod est in spe, pro certo & determinato lucro quotannis

sibi reddendo; sine hac pacto ex interuallo porantur, sine à principio formaliter & expresse, sine etiam virtute, & implicite tantum.

Franciscus Garcia de contract. p. 2. c. 17. Potest in contractu societatis socius affecurare sortem socii sui, & lucrum ex ea societate speratum.

Eandem sententiam apertè docet Ludouicus Lopez de contract. lib. 1. cap. 65. vbi primum ponit tres condiciones. Prima est, ut deponens pecuniam velit obligare mercatorem ad negotiandum. Secunda, ut non nimis multum lucri ab eo exigit. Tertia, ut mercator sponte velit capitale affecurare. Deinde addit: Cum his conditionibus potest licitè fieri ex se contractus prædictus cum socio, sine eodem tempore cum contractu societatis, sine successu; & non solum formaliter & expresse, sed etiam implicite & aquialenter, ut ait Navarrus. Deinde citatis aliquot Auctoribus, addit: Sed neque Victoria, neque Frater Ioannes de Penna, neque Caietanus (qui videntur tenere contrarium) ausi sunt hanc conclusionem omnino damnare.

Eandem tenet Bartholomæus Medina in sua Instructione §. 27. ut idem Lopez refert.

Franciscus Toletus l. 5. cap. 41. Contractus societatis possunt annecti alij duo, puta affecurationis capitalis: sicut enim vnus potest affecurationem capitalis cum tertio facere, ita etiam potest cum socio. Potest etiam locare fructus & lucrum pretio conuenienti, vel affecurationem lucri facere. Et ita sentit Caietanus opusc. 16. q. 11. & Navarr. c. 17. num. 255. quamuis Soto id non recipiat. Sed non videtur id negandum, dummodo, ut Caietanus dicit, non obliget socium ad tales contractus, sed liberum relinquat, sicut & alium tertium.

Eandem tenet Iosephus Angley in Floribus 4. Sententiarum, quæst. de societate.

Eandem apertè indicat F. I. Benoist. lib. 3. c. 9. §. Exemple.

Eadem nuper à doctissimis viris absque vlla difficultate fuit Romæ approbata: & passim per Italiam est in vsu, ut ex formulis imprellis mercatorum constat.

Denique plurimi hoc tempore per Italiam, Hispaniam, Germaniam, Galliam, S. Theologia Professores celeberrimi eandem absque dubitatione tradunt.

Probant Doctores Primum, ex Iure Canonico 24 cap. Per vestras. de donat. inter virum & vxorem: Secundò, vbi, si marito vergente ad inopiam, nec valente dare sufficientem cautionem pro dote vxoris conseruanda, dos verteretur in periculo; iubetur talis dos tradi mercatori ad societatem negotiationis, ut nimirum & securè apud illum conseruetur, & ex eius lucris possint onera matrimonij sustentari. atqui hoc fieri non posset, nisi cum mercatore inean- tur tres supradicti contractus formaliter vel æquipollenter. Hæc ratio est probabilis, sed non conuenit, ut ostendit Lopez supra.

Secundò, ex Iure ciuili L. Si non fuerint. 29. ꝑ. pro socio. dicitur ita contri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat. quod alia ratione fieri non potest, nisi contractui societatis addatur contractus affecurationis fortis.

Tertio Probatum ratione. Si esset aliqua iniustitas in hoc contractu, vel id proueniret ex eo quod non seruetur æqualitas inter ea quæ commutantur, vel quod mercator obligetur ad aliquod supra naturam contractus, vel denique ex eo quod ratio-

25 Tertio, probatur ratione.



ratione aſſecurationis præſtandæ à mercatore ſit implicitum mutuum, ex quo non licet lucrum capere. non enim ſunt aliæ cauſæ ob quas Auctores aliqui velint hunc contractum iniuſtum. ſed ex nullo horum capitum eſt iniquitas: ergo, &c.

Ex 1. cap. non eſt iniuſtitiam.

Non ex primo, Quia ſupponimus eſſe æqualitatem, ſecundum peritorum æſtimationem, inter ea quæ vtrimque præſtantur & commutantur, nimirum ex parte deponentis ſortem, & ex parte mercatoris. Ex parte enim deponentis tria conferuntur, quæ ipſi pereunt.

Primum eſt, Æſtimatio periculi, cui pecuniam ſuam exponit. eſt enim mercator dicatur eam aſſecurare, hæc tamen ſecuritas eſt valde infida, & cum ea plurimi euertuntur. Vnde plerique libenter adhuc darent vnum in centum pro perfecta aſſecuratione, per pignus aut hypothecam ſufficientem obtinenda. Quare exponendo ſic ſortem, cenſetur mercatori dare vnum in centum, cum periculum ſortis tanti æſtimetur.

Secundum, Æſtimatio commoditatis, quam habebat ex pecunia præſenti. commodum enim cuique eſt habere pecuniam ſuam expeditam ad omne lucrum, quod ſe forte offeret. hæc æſtimatio eſt facile duorum vel trium in mille.

Tertium eſt Æſtimatio lucri ſperati, quæ quando induſtrius eſt mercator, facile eſt 10. vel 12. in centum, & ſæpè multò amplius, vt quotidiana experientia, & mercatorum confeſſione conſtat.

26 Ex parte mercatoris ſimiliter tria conferuntur. Primum eſt Elocatio operarij, ſeu obligatio ad impendendam illam pecuniam negotiationi. hæc non magni à mercatoribus pecunia accipientibus æſtimatur; quia eadem opera illam pecuniam vnà cum ſua impendit. Imò id auget illorum fidem, & facit illuſtriores, quòd magnam vim pecuniæ habeant. Vnde ſit vt meliori pretio emant, partim propter fidem ſeu creditum, partim quia merces in maxima quantitate numerata pecunia comparant: quod facere abſque adminiculo illo non poſſent.

Secundum eſt Aſſecuratio ſortis. hæc etiam non magni penditur; tum quia ea ſecuritas parum eſt ſecura, & multis periculis expoſita, vt pote nulla nitens hypotheca, ſed ſola fide mercatoris. (vnde non eſt maior, quàm ſit ſecuritas bonorum ipſius mercatoris, quæ omnia fortunæ ſunt expoſita) tum quia ſi mercator euertitur fortunis, nihil iuuabit alterum, pactum illud aſſecurationis. ſi non euertitur, libenter ſoluet ſortem, ne apud alios amittat fidem.

Tertium eſt Obligatio ſoluendi 6 & 7/8 in centum, vel quantum iudicio peritorum conuentum fuerit. quæ obligatio minoris æſtimatur quàm cenſurata, propter infirmitatem fundamenti; nimirum quia caret hypotheca, & quia omnia bona illius magis ſunt expoſita periculis, quàm eorum à quibus cenſus emi ſolent.

Conferantur nunc hæc tria quæ vtrimque præſtantur inter ſe; cui dubium eſſe queat, quin iudicio & æſtimatione peritorum mercatorum poſſit inter hæc ſtatui æqualitas? Si poteſt ſtatui æqualitas, nihil obſtat quin hæc inter ſe poſſint commutari iuſto contractu. atqui iudicio peritorum mercatorum in formula illa eſt æqualitas, ſaltem eatenus vt non cenſeatur plus exigi à mercatore, aut ipſe plus grauari, quàm valeat id quod ipſe præſtat pecuniæ depoſitori. ergo illa formula hæc ex parte non eſt iniuſta.

Hinc patet, hos tres contractus poſſe fieri per modum vnus contractus innominati, *Do & facio* vt des & facias: nimirum, Trado tibi hæc meam pecuniam ad negotiandum (exponens eam periculo, & priuans me illius commoditate) & do tibi totum lucrum, vt tu ea negotieris, & te obliges ad reddendam ſortem, & ad ſoluendum 6 1/2 in centum. Vel ſic, Si velis mea pecunia negotiari, aſſecurare ſortem, & obligare te ad ſoluendum 6 1/2 in centum, tradam tibi meam pecuniam, & concedam tibi totum lucrum. Hic non ſunt tres contractus à ſe mutuo independentes; ſed vnus ſolus inuoluens omnia, quæ vtrimque ſunt conferenda & commutanda.

27 Poſſunt fieri in modum vnus pacti.

Ex his patet, ex primo capite nullam eſſe iniuſtitiam in hoc contractu.

Sed neque ex ſecundo, nimirum quòd mercator obligetur ad aliquid ſupra naturam contractus ſocietatis, vel conductionis operarum. Primò, Quia non obligatur ad hoc ex vi contractus ſocietatis aut conductionis: hoc enim iniquum eſt, eò quòd grauatur ſupra naturam contractus; quod grauamen nouo pretio non compenſatur: vt ſi quis ex eo ſolo quòd inear contractum ſocietatis mercaturæ cum altero, velit ſibi præſtari periculum ſortis, & nihilominus æqualiter particeps eſſe lucri; (hæc enim eſt ſocietas leonina, in qua vult quis eſſe immunis à damno, & par vel maior in lucro) ſed obligatur ex alio contractu in quo noua datur compenſatio æqualis illi grauamini. ideò enim pars aliqua lucri ſperati ei conceditur.

28 Ex 2. cap. non eſt iniuſtitiam.

Nec refert, quòd ſine hoc contractu aſſecurationis nolit depoſitor pecuniæ inire contractum ſocietatis, aut conductionis operarum mercatoris: cuique enim liberum, nolle inire vnum contractum ſine alio. v. g. contractum venditionis ſine contractu redimendi; aut contractum venditionis vnus ſpeciei, ſine venditione alterius ſpeciei, &c.

Accedit quòd mercatores ſic malint quàm aliter; maius enim lucrum ſic percipiunt. Aſſecurationem enim ſortis ſæpè non magni æſtimant, quia norunt eam ſecurè impendere; vel ſi exponunt eam periculis, & res malè ceſſerit, cogitant ſe non fore ſoluendo; ac proinde depoſitorem fore damni participem: quòd ſæpè fieri videmus. Lucrum autem incertum, quòd illis offertur, libenter certo pretio redimunt, quia ſperant ſe multò plus lucraturus: & tales venditiones & emptiones rerum non habentium certum euentum, inter eos ſunt creberrimæ. Adde, quòd ex tali contrahendi formula non cogantur rationes ſuas & computus alijs patefacere. Itaque tantum abeſt, vt ad contractum aſſecurationis, & certæ penſionis annuæ pro lucro ſperato, adigantur mercatores inuiti, vt alia ratione plerique nolint ad ſocietatem admittere, aut eorum negotia curare.

Denique iſti tres contractus poſſunt iniri per modum vnus, vt antè explicatū eſt; modò ea quæ commutantur, exæquentur æſtimatione & iudicio peritorum mercatorum; & tunc non poterit dici, quòd ex vi vnus contractus obligetur ad alium, cum reuerà tantum ſit vnus contractus. Itaque ex hoc capite ſecundo non eſt iniquitas.

Ex tertio etiam capite non eſt iniquitas; quia falſum eſt, quòd ratione aſſecurationis præſtandæ à mercatore cui datur pecunia, amittatur do-  
29 Non ex 3. cap. minium, & fiat implicitum mutuum, vt putat



*Non trans-  
ire in mu-  
tuum.*

Sotus. Non enim magis amittitur dominium, aut transit in mutuum, quando cum eodem, cui pecunia traditur, & veluti locatur ad negotiandum, pactum securitatis initur; quam quando cum tertio initur.

Quod tripliciter probatur. Primò, Quia in locato & commodato non amittitur dominium, nec definit esse contractus locati aut commodati, etiamsi conductor aut commodatarius suscipiat in se periculum rei, vt colligitur ex cap. vnico de commodato. & L. 1. 7. depositi. & per se satis constat. ergo neque in proposito contractu, siue consideretur vt contractus societatis, siue vt locatio pecuniæ, aut conductio operæ ad negotiandum illa pecuniæ; quomodo ordinariè in praxi solet exerceri. Nec refert quòd pecunia illa misceatur cum pecunia mercatoris; quia id non facit amitti dominium; sed potius facit depositorem dominum partialem totius summx, cum communi consensu misceantur; vt aperte colligitur Institut. de rerum diuisione, §. Si duorum.

Secundò, Quia mercator non potest illum in alios vsus quàm in mercimonium impendere: alioquin iniuriam tibi facit, & tenetur quanti tua interest, non fuisse sic impensam. Vnde verum nõ est, illum ea pecunia posse emere prædium, aut dotare filiam; quia non est illi ad eum vsum concessa; nisi id faciat cum animo mox aliam eius loco substituendi: quo modo etiam deposito vti licet, cuius tamen dominium non amittitur.

Tertiò, Si contingat mercatorem non esse soluendo, depositor potest ante omnes creditores pecuniam suam, si adhuc inueniatur, extrahere, tamquam rem suam: & si surrepta fuerit, actione in rem illam vindicare: quæ omnia sunt aperta signa dominij, & nullum hic esse mutuum. secus enim res se in mutuo habet. Vnde patet, ex nullo istorum trium capitum supradictorum esse iniustitiam in hoc contractu; ac proinde contractum non esse iniquum.

*30  
Secunda  
ratio.*

Secundò, Si hic contractus esset iniquus, vel id esset ratione pacti assecurationis annexi, vel ratione lucri certi pro incerto. sed non est iniquus ratione pacti assecurationis, vt iam ostensum est: neque etiam ratione lucri certi pro incerto; quia omnes DD. fatentur hoc pactum licitum esse, vt docet Lopez supra. sicut enim vendi potest iactus retis, ita etiam lucrum speratum.

*Tertia ratio.*

Tertiò, Isti contractus possunt iniri cum diuersis, vt omnes fatentur. possum enim cum Paulo mercatore inire contractum societatis, vel conductionis operæ nauandæ, conferendo 1000. aureos, & assignando ei pro industria sextam vel septimam partem lucri sperati. Deinde contractum assecurationis cum Petro, vt præster periculum fortis, relicta ei quarta, vel quinta parte lucri incerti. Denique contractum venditionis lucri incerti cum Ioanne, vt pro reliquis partibus lucri sperati certum quid mihi soluat. cur non possint fieri cum eodem, præsertim cum ille id petat, & alios admisceri nolit: quæ enim inita cum diuersis iusta sunt, etiam cum eodem iusta sunt, si ille sic contrahere sponte sua cupiat, vt Siluester, Lopez, Nauarrus, & alij DD. annotarunt. Iustitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, non in habitudine ad personam, seu subiectum. In hoc enim ab aliis virtutibus præsertim moralibus distinguitur, vt omnes Theologi & Philosophi docent.

Si dicas, quando tale pactum assecurationis cum eodem contrahitur, amitti dominium pecuniæ, fierique tacitum mutuum; hoc iam antè satis refutatum est. Denique hæc pacta possunt fieri cum eisdem successiue, cur non etiam simul? Antecedens fatetur Caietanus, & passim ceteri DD. excepto Soto; & per se satis constat. sunt enim pacta iusta. Primum enim est pactum societatis, vel conductionis operæ; secundum, assecurationis; tertium, venditionis lucri incerti maioris pro certo precio minore. Consequentia patet; quia simul vel successiue fieri, non mutat iustitiam pactorum, modò semper seruetur æqualitas, & vtrique libertas.

Ex his patet, Primò, Contractum illum supradictum, quem Conradus proposuit Caietano, ea forma qua proponitur, non esse iniquum: continet enim triplex pactum iam explicatum. Neque verum est, pro assecuratione nihil dari; quia datur pro ea pars lucri incerti; quæ iudicio prudentis, spectatis circumstantiis, censetur illi æquiuale. pro reliquo lucri incerti maioris, exigitur aliquid certi quod minus sit, quod iudicio prudentis, spectata conditione negotiationis, & reliquis circumstantiis, censetur spei illius æquiualens; vel certè non pluris aestimetur.

Nec obstat, quòd fortè tertius nollet illud lucrum incertum eo pretio certo emere; tum quia sapè contrarium est verum: tum quia id prouenit ex eo, quòd tertius non possit certò scire quantum lucri prouenerit. Nam potest ei fraus magna fieri; cum non sit conscius eorum quæ geruntur. secus est de fociis, vt ex dictis constat.

Secundò, constat, formulam illam, quæ in Italia & Antuerpiæ varis linguis circumfertur, non esse iniquam, continet enim tres illos contractus, estque talis: *Ego infra scriptus confiteor hoc meo chirographo, me accepisse à Tertio mille aureos, vt eos impendendam legitima negotiationi: & loco incerti lucri maioris, quod illi ex hac negotiatione posset competere, promitto me illi daturum 6 & 2/3 in centum quotannis, & eiusdem summx periculum præstiturum.*

Ad argumentum Soti abundè constat ex rationibus supradictis. Ex quibus etiam facillè soluitur aliud argumentum quod quidam valde vrgent: De ratione contractus societatis est, inquit, vt sicut socius est particeps lucri, ita etiam sit dampni. L. 1. & sequent. 7. & C. Pro socio, atqui in prædicto contractu socius ille qui pecuniam confert, est extra dampnum, & solùm est particeps lucri: ergo non est ibi vera societas, sed vel mutuum cum vsura, vel societas leonina. Dicendum enim, hinc rectè sequi, non esse contractum societatis purum, de quo illæ leges loquuntur: hic enim illam paritatem in lucris & dampnis requirit; sed mixtum alio contractu. vtrum autem ratione illius admixti transeat in aliam contractus speciem, ita vt non debeat amplius dici contractus societatis, parum refert, modò in re seruetur æqualitas. vt autem passim est in vsu, potius est contractus conductionis operarum ad negotiandum, quàm veræ societatis. neque verum est esse contractum mutui, vt supra ostensum. neque potest dici societas leonina; quia quòd dampni non sit particeps, compensatur alio contractu sponte vtriusque inito. si illam immunitatem iusta ratione & socio inuito nollet compensare, esset societas leonina.

Petes



31 Petes Primò, Vtrum hi contractus debeant semper expressè fieri?

An debent fieri expressè.

Respondeo, Id non esse necessarium, vt rectè Nauarrus supra ex Maiore: sufficit enim vt contrahentes implicite illos intendant per vnicum contractum expressum, modò seruetur equalitas; ita vt per tres expressos contractus; iuste ad id, quod ex vnico queritur, possit perueniri. Idem enim operatur consensus implicitus & expressus. Vnde potest quis vti hac forma cum mercatore: Confero 1000. ad mercaturam, vt quotannis soluas 5. vel 6. salua sorte, eo modo, quo DD. docent id esse licitum. satis enim per hoc indicantur isti contractus; satisque intelligitur, pro lucro incerto exigi onus præstandæ sortis, & soluendæ certæ pensionis. quò autem negotiatio est magis lucrosa; eò plus exigi potest. Vnde si campiori detur, vel negotianti apud Indos, non damnarem, etiam si 8. vel 10. in 100. exigantur.

Debent intendi.

Notandum tamen est Primò, Necessarium esse vt hi contractus saltem implicite intendantur, iuxta aliquem istorum modorum, quos supra cap. 20. dubit. 11. & 12. explicuimus; quia requiritur iustus titulus exigendi certum lucrum ultra sortem; nullus autem apparet præter contractus prædictos: (nisi forte quis intendat emere censum vtriusque redimibilem, de quo modò non agimus.) Vnde si quis intendat mutare mercatori, & exigat partem lucri, tenetur ad restitutionem. similiter si putet mercatorem non velle vti ea pecunia; aut alia eius loco, ad negotiationem: quia tunc contractus negotiationis & venditionis lucri incerti non habent locum. itaque censetur mutuum cum obligatione reddendi aliquid supra sortem, quod est illicitum. Si tamen bona fide dedisset, putans illum velle vti ad negotiationem, posset exigere pretium conuentum; quia contractum ex parte sua bona fide impleuit; ac proinde potest alterum cogere vt etiam impleat, aut soluat quanti sua intererat ipsum pacta conuenta præstitisse.

Notandum Secundò, Hoc pactum affecutionis etiam esse licitum in societate circa greges animalium. potest enim tradi grex 100. ouium pacendus, ea lege, vt pastor præster eum saluum, suppleudo si quid etiam fortuito perierit; & præterea quotannis soluat aliquid certi pro fructibus. Vt tamen hic contractus sit iustus, necesse est, vt spes fructuum ex illo grege sit tanta, vt iudicio prudentis æquiualeat oneribus quæ pastori imponuntur; nempe obligationi præstandi integrum numerum, & soluendi quotannis certam pensionem.

32

An expediat Reip.

Petes Secundò, Vtrum expediat hoc tempore in Belgio, & aliis locis similiter constitutis, permittere huiusmodi formulam contrahendi?

Videri possit non permitteuda. Primò, Ob periculum fraudis vsurariæ, quæ facile sic tegi potest: vt si pecunia detur ei, qui per eam quæstum facere non cogitet; aut si non cures, vtrum negotietur, nec ne: tunc enim erit implicitum mutuum sub specie contractus societatis. Vnde quidam ex suprascriptis DD. dicunt hunc contractum non esse consulendum, & posse prohiberi, & sæpè habere coniunctum scandalum.

Secundò, Quia, si talis formula contractus permittatur, homines passim negligent emptionem reddituum & prædiorum, aliorumque bonorum

immobilium, ex qua Principi vel Reipubl. tributum seu vectigal aliquod penditur. itaque cedet hæc res in damnum Principis, & Reipubl.

Tertiò, Quia contingit multos priuatos euerri fortunis, quando mercatores (quod sæpè accidit) cedunt foro: quod incommodum vitabitur, si talis contrahendi ratio fuerit prohibita.

Nihilominus sentio esse expediens, præsertim hoc tempore, & ad salutem animarum, & ad commodum Principis, & ad compendium viduarum & pupillarum, hanc formulam non prohiberi, sed permitti. Quòd ad salutem animarum expediat, probatur; Quia si hæc forma prohibeatur, subtrahetur plurimis qui redditus non habent, nec venales inueniunt, ratio viuendi salua sorte, quæ tamen omnes conseruatam volunt. Itaque conferent se ad iniquas artes, ad occultas vsuras, ad fraudes emptionum & venditionum, ad cambia ficta & ficta, ad mohatras, monopolia, furta. Alij paucis annis sortem consumunt; sicq; filie non poterunt honestè elocari, nec filij in studiis liberalibus alii: aliaque plurima incommoda sequuntur.

Quòd ad commodum Principis & Reip. attinet, patet. Si enim hic contractus prohibitus fuerit, non poterunt mercatores Principi suppeditare pecuniam, nisi sub maximis detrimentis. cogentur enim omnem ferè pecuniam accipere aliunde per cambia, quorum pretia in annum sæpè excresecunt ad 12. 14. 18. vel amplius in centum. vnde etiam multò amplius nomine cambij vel interesse exigent à Principe. Cum autem hic in patria accipiunt pecuniam triplici illo contractu à viduis, pupillis, & alijs qui eam aliter impendere vtiliter non possunt, ordinariè solum soluunt 6. &  $\frac{1}{2}$  in centum, secundum rationem reddituum: & ita minus interesse exigunt à Principe. Itaque hic contractus maximè redundat in commodum Principis & Reipublicæ.

Neque verum est, alia ratione Principi obuenire damnum, quòd negligatur emptio reddituum, & bonorum immobilium: quia hoc tempore rarò offeruntur redditus boni venales; quin potius passim redimuntur refusa sorte. Nemo enim est, qui non malit redditum bene hypothecatum, quam hunc triplicem contractum cum mercatore. Itaque si omnes possent sortem suam impendere in redditus, non confugerent ad mercatores. Idem dicendum de emptione prædiorum, & aliorum immobilium. hæc enim vel se non offerunt; vel si offerant, ita grauantur, vt ex fructibus parum percipiant, & non possint inde viuere. Durum autem est, cogere subditos ad emptionem earum rerum, quæ ipsis pro hoc tempore futuræ sint parum viles.

Quòd etiam ad commodum viduarum, pupillarum, & plurimorum aliorum, qui alia ratione fructuose suam pecuniam non possunt impendere, expediat hunc contractum permittere, constat ex dictis. alioquin consumunt sortem, & tandem redigentur ad inopiam, vel ad turpia lucra se conuertent.

Nec obstat, quòd aliquos conungat vnà cum mercatoribus euerri; quia hi pauci sunt ad reliquos qui non eueruntur. Deinde non statim eaertuntur, sed plerumque post multos annos, quando iam diu fructum perceperunt. ac si viuere debuissent ex capitali, non minus post aliquot annos ad inopiam vergere cœpissent.

33  
Ad rationes.



Quod ad speciem vsuræ attinet, ea facile abtergetur, si contractus ineuratur cum industrio & sedulo mercatore, eique deatur dumtaxat ad impendendum legitimæ negotiationi, vt formula præscribit. Quod si quis aliter faciat, id non est vitium huius formulæ, sed hominis à formulæ præscripto recedentis: quod in omnibus contractibus vsu venire potest. atqui ob abusum quorundam, id quod in secretum est, & expediens bono publico, non est prohibendum.

Nec obstat quodd Sixtus V. in constitutione edita anno 1586. 12. Kal. Nouemb. damnet & reprobet omnes contractus in posterum ineuandos, per quos cauebitur personis pecunias, animalia, aut res alias, societatis nomine tradentibus, vt fors ipsa, etsi fortuito casu pereat, semper salua sit, & integra à socio recipiente restituatur; & statuatur, vt talis contractus posthac vsurarius censeatur.

Primò, Quia intelligi potest, quando ex vi contractus societatis exigitur assecuratio. Secundò, Quia non obstante hac constitutione, in Italia maximè viget, & semper viguit ista forma contractuendi: & passim schedulis impressis extat, & versatur in omnium manibus. Vnde patet illam constitutionem vel numquam ibi fuisse receptam, vel certè non vetare hanc formulam, sed aliò spectare. Multò minùs fuit recepta hùc in Belgio, vbi neque fuit vquam promulgata, neque cognita.

Simili modo Pius V. anno 1569. multa statuit de censibus, (v. g. vt statuatur super re immobili, fructifera, certis finibus designata; vt re pereunte pereat census pro rata; vt pecunia re ipsa numeretur, idque coram Notario & testibus, & alia huiusmodi) & iubet contractum censeri vsurarium, si aliqua ex his conditionibus defuerit: tamen quia hùc in Belgio illa constitutio non est recepta, nemo sibi facit scrupulum, etiam si eam non seruet.

Idem alia constitutione de cambiis edita anno 1571. statuit, vt quando solutio differtur in secundas nundinas, non plus exigatur quàm cum in primas tantùm, & vt æquè multum soluatur siue nundinæ illæ sint propinquæ tempore, siue remotæ. Neutrum tamen seruatur in praxi, nec Doctores damnant, eò quòd constitutio recepta non fuerit.

Neque etiam obstat cap. In ciuitate, de vsuris: quia solùm ibi vetatur, ne venditio creditò maiori pretio fiat, quàm ea quæ agitur presenti pecunia. alius longè est casus noster. Nihilominus nõ obstante illa prohibitione, sæpè venditio fit creditò maiori pretio; non solùm quando res putatur pluris tempore solutionis valitura, quod permittitur illo cap. sed etiam in aliis enentis; vt ratione interesse, ratione periculi cui exponitur, & ratione multitudinis eorum qui sic volunt emere: vt constat ex praxi mercatorum vbiq; recepta, & à DD. excusata & defensa.

Dices, Vsuræ pupillares sunt vetitæ multis locis; ergo etiam hùc triplex contractus vetandus.

Respondeo, Esse magnam disparitatem: nam illæ vsuræ sunt veræ vsuræ, nec habent alium titulum quàm puri mutui (depositum vocant) nisi fortè deponentes explicitè vel implicitè intendunt triplicem illum contractum, & agant cum mercatore. quo casu nulla est in illo contractu iniustitia. Sed reuerà plerique pecuniam suam vel pupillorum ita deponentes nihil cogitant, nec

sciunt de illo modo contrahendi: & sæpè non agunt cum mercatore, sed cum aliquo, qui pecuniam ad suæ familiæ sustentationem, vel solutionem debitorum, expetit. Vnde meritò talis contractus est prohibitus. addo, totam hæc deductionem à primariis Professoribus sacre Theologiæ huius Vniuersitatis esse examinatum, qui eam in omnibus & singulis suis conclusionibus probant, & vsui publico permittendam esse iudicant. Hæc fulius præter meum morem persecutus sum, quòd videam adhuc à quibusdam propter vmbra quædam vsuræ hunc contractum damnari: cuius prohibitionem hoc tempore cum damno publico futuram non dubitauerim.

## D V B I T A T I O I V.

*Quæ damna & expensæ ponentis operam sint communes, quæ non.*

**R**espondeo Primò, Si quid hac de re inter eos iusta pactione est conuenitum, id est seruandum. Secundò, Si nihil est conuenitum, seruanda est consuetudo loci; nam contractus censentur celebrari secundùm consuetudinem loci, quando aliud non est expresse.

Tertiò, Si non constet de aliqua recepta consuetudine loci, qua res possit decidi, sequenda est hæc regula, Vt impendia & damna, quæ causa negotiorum societatis sunt accepta, sint communia; vt si ad merces coëmendas profectus, in latrones incideris, pecuniamque tuam, vel res alias perdidideris; si tu vel serui tui abiis fuerint vulnerati, & impensæ in medicos sint factæ. Ita habemus L. Cum duobus. §. 2. Venit. ꝑ. pro socio. Similiter si captus ab hoste, te redemeris. Vtrum autem expensis iuuerum detrahendum sit quòd domi manens in sumptibus, dubium est. Siluester num. 12. ex Baldo & aliis affirmat. Nauar. cap. 17. num. 283. negat; nisi contrarium sit deductum in pactum. Vtrumq; est probabile. Sententia tamen Nauarri est conformior iuri & praxi. Ad expensas etiam pertinet, si quid de suo socius impendit ad conseruationem mercium communium, ne perirent vel deteriores redderentur.

Vtrum autem ex iniustitia teneatur de suo ad hoc impendere, quarunt aliqui. Dicendum est, Teneri, si alia ratione non possit damnnum commune auertere. Ratio est; quia tenetur eam diligentiam rebus communibus adhibere, quam quilibet propriis adhibere solet: atqui ad res suas conseruandas quisque de suo impendit: ergo idem præstare debet ad conseruationem rerum communium. Confirmatur, quia talis tenetur petere mutuum, si aliter non potest damnnum commune auertere: ergo si id nolit vel non possit ab aliis petere, tenetur accipere à seipso nomine societatis. Ita Molina disput. 418.

Aduerte tamen, si aliquid damni eueniat culpa socij, illud non fore commune; vt si res furto sunt ablata defectu debitæ custodiæ, vt patet L. cit. tertia vel eadem. Vnde tenetur autem non ad exactissimam diligentiam; sed ad talem, qualem rebus propriis adhibere solet. vt habetur L. Socius. 72. ꝑ. pro socio. vel potius qualem socij communiter præstare solent. Pari modo, si priuato tui odio vel amore damnnum vel commodum tibi quis adferat, etiam si

soci-



focietas fit eius occasio, non erit commune: vt si inimicus inuentum in via, & ad negotia communia proficiscens vulnerauerit: si absentem amicus heredem non scripserit, vide Siluestrum, Societas 1. num. 9.

Denique si alter sociorum prodigè administraret ex lucris, teneretur alteri compensare. Vnde sequitur, in contractu societatis inter maritum & vxorem, vbi lucra sunt communia, si maritus, cui commissa est administratio, prodigè agat; soluto matrimonio, illius heredes teneri vxori: quia prodiga administratio, non est administratio, sed profusio: & aliàs, hoc ipso, quo lucra aliqua extant, dimidia pars est vxoris; sicut in alio societatis contractu, ad commune lucrum inito, quare teneretur sicut socius, cui concessa administratio ad bonum commune. Vnde in hoc casu vxor, si alia ratio sibi consulendi non suppetat, poterit vti occulta compensatione, quantum ex prodigè donatis, vel contumptis à marito ad

eam pertinebat; vt rectè Petrus Nauarr. lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 114.

Contrarium tamen docet Nauarr. cap. 17. numero 155. vbi dicit, maritum non teneri restituere vxori, quæ de lucris communibus malè impendit. Ratio ipsius est; quia, inquit, illa sola, quæ tempore diuortij inueniuntur lucrifacta, censentur lucra: reliqua enim, licet pro dimidio lucrifiant vxori, lucrifunt tamen reuocabiliter, ita vt maritus benè vel malè administrando, potuerit illa sibi & vxori reuocare. Sed hæc ratio non est solida: nam reuera vxor habet dominium & possessionem talium bonorum ab initio quo sunt acquisita, non minùs quàm maritus, etsi partialis; sicut quando res indiuisa, est communis duorum: & maritus nihil præ illa iuris in eis habet, nisi administrationis. ergo ab initio ei pars dimidia debetur; & si maritus malè administraret, non potest hoc iuri vxoris officere, sicut nec in paraphernis.

## CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

## De Ludo &amp; Sponſionibus.

Habet 5. Dubitationes.

## DVBITATIO PRIMA.

Quid ludus, quid sponſio, &amp; vtrum hi contractus sint liciti.

**L**UDVS propriè accipitur pro di-  
ctis vel factis ad oblectationem  
animi destinatis, vt colligitur ex  
D. Thoma 2. 2. qu. 168. art. 2. hic  
verò accipimus pro contractu, quo  
ludentes inter se paciscuntur, vt  
victori cedat quod vterque deposuit.  
Itaque ludus propriè est veluti certamen quoddam duorum,  
ad animi oblectationem pertinens. *contractus autem  
ludi est pactum, vt victori certaminis, res ab  
vtrouque exposita tribuatur.*

**S**ponſio est contractus, in quo duo de veritate  
vel euentu alicuius rei contententes sibi vicissim  
aliquid spondent, vt id eius sit, qui veritatem fue-  
rit affectus.

**V**terque contractus iure naturæ est licitus, mo-  
dò debita conditiones adsint. sicut enim in po-  
testate cuiusque est rem suam alteri donare abso-  
lutè; ita etiam transferre in alterum sub aliqua  
conditione; siue ea fortuita sit, siue ex industria  
pendeat. Vnde non est verum, ex intentione lucri  
reddi illicitum, & mortiferum peccatum, vt vult  
Silueſter v. Ludus, q. 4. & alij, quos ibi citat, nisi  
affectus lucri sit immoderatus. non tamen erit op-  
hanc causam peccatum mortiferum, nisi affectus  
ille, ex quo procedit, tantus sit, vt quis ex illo  
paratus sit facere notabilem iniuriam proximo,  
vel aliquod præceptum sub peccato mortifero  
obligans violare, vt si amore lucrandi per ludum,  
die festo omittat Sacrum.

**A**duerte tamen Primò, Quosdam ludos iure  
civili esse prohibitos, etiam laicis; vt sunt omnes  
ludi, qui magis fortunà quàm arte reguntur, qui  
communiter nomine *alearum* significantur in lu-

re; vt patet L. 1. & 3. C. de aleatoribus: vbi et-  
iam quinque dumtaxat ludi permittuntur, *curſus,*  
*ſaltus, vibratio quintiana* (id est, hastiludium abs-  
que spiculo) *lucta & hippodromus;* & conceditur  
ditioribus vt in singulas commiſſiones, vnum so-  
lidum (nummus erat aureus) tantummodò pos-  
sint deponere. *si in plus lusum fuerit, inquit, ne-  
que repetitio detur, & solum repetatur.* Causa  
huius prohibitionis est triplex. Prima, quòd ex  
hoc genere ludi sæpè iræ & blasphemæ in Deum  
(cui euentus fortuiti solent assignari) conciten-  
tur. Secunda, quòd inter ludentes sæpè oriantur  
lites & pugna. Tertia, quòd facillè tota substan-  
tia per illud exhauriatur: vnde fit vt ad furta &  
latrocinia se conserant. insinuantur hæc d. L. A-  
learum, supra. Iure Digestorum etiam prohibi-  
tus erat aleæ lus, præsertim si quis in pecu-  
niam luderet; vt habetur L. Solent. 2. de alea-  
toribus: vbi tamen permittuntur quinque illi  
ludi supradicti, virtutis exercendæ causâ. veti-  
tum etiam erat commodare illis locum ad lu-  
dendum, L. 1. ibidem. Ex quibus apparet, quan-  
tò meliores fuerint in hac causa mores illius æui  
quàm huius.

**A**duerte Secundò, Iure Canonico Clericis  
esse prohibitum ludum alearum, vt patet can. 41.  
Apostolico, *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus  
alea atque ebrietati vacans, aut desinat, aut depo-  
natur.* & can. 24. *Subdiaconus, aut cantor, aut lector  
similia faciens, aut desinat, aut separetur;* (id est  
communione priuetur) *similiter & laici.* Et c. Cle-  
rici 15. de vita & honestate Clericorum, ex Con-  
cilio magno Lateran. *Ad aleas & taxillos non lu-  
dant, nec huiusmodi ludis intersint.* Et cap. Inter  
dile-